

3 uatis Astronomiæ utilitas conspicitur, quod & Plato in Epimenide testatur, & in Dialogo Repub. septimo sic scriptum reliquit: τὸ γὰρ περὶ ὥρας ευαοθητοτέρως ἔχει, καὶ μηνῶν, καὶ ἐνιαυτῶν, οὐ μόνον γεωργία, οὐδὲ ναυτιλία ηἰροσίμει, ἀλλὰ καὶ στρατηγία οὐχ ἡττοῦ. Circa tempora & menses & annos subtiliori sensu prædictum esse, non solum agriculturæ & arti nauticæ conuenit, sed non minus etiam militari. Magna profectò & hæc est dignitas Astronomiæ, quod nostros animos in agnitionem gloriæ & maiestatis DEI deducat, & supra omnes cælos in Thronum DEI euehat, vt inenarrabilem ipsius maiestatem, omnipotentiam, infinitam bonitatem & sapientiam videant, inuocent & colant.

Hinc videre est DEO placere, vt opera illius contem-plemur, & illius inuisibilem diuinam potentiam & virtutem discamus cognoscere, ex his visibilibus teste Paulo ad Rom. cap. 1. τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτῶ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοοῦμενα καθαρεύονται ἢ τε αἰδίοσ' αὐτῶ δυνάμεις καὶ θεότης. Ideo etiam erecti incedimus, vt totum animum nost. ãm ab istis terrenis & corruptibilibus ad superiora erigamus, & ex mirabili corporum cælestium dispositione & motu discamus nihil casu fieri, vnde & Ouidius canit:

*Prona q̄, cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælumq̄, videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.*

Et Plato πολιτειων 7. inquit, παντί γὰρ μοι δοκεῖ δῆλον, ὅτι αὕτη γε ἀναγκάζει ψυχὴν εἰς τὸ ἄνω ὄραμ. καὶ ἀπὸ τῶν ἐπιθένδε ἐκέλευε ἄγα. Videtur enim mihi cuius manifestum esse, quod Astro-
nomia animam sursum spectare cogit, & ab his, quæ hic
sunt,